

DOMINI ANTONII DE PERALTA

de Nauarra, Iuris Vtriusque Doctoris & Iuris Ciuilis Salmanticæ publici Professoris.



AD IVLIANI IVRECONsulti Responsum in.l. Qui vsumfructum. ff. de verborum obligationibus.

IN PETITIONE PERPETVAE Cathedræ Digesti noui.




Cum licentia Ordinarij.

SALMANTICAE,

Excudebat Cornelius Bonardus.

M. D. LXXXVI.

ADMODVM ILLVstribus & charissimis discipulis. Salutem.



OST tot labores, post tot lucubrationes in iure passus, post tot Bartoli repetitiones, quas & præuidi & prælegi, post tot eiusdem Bartoli difficillimas & intricabiles reassumptiones, quas & perfectè percallui & mente infixas & repositas habeo, post decem annos continuos, quibus Salmanticæ & Compostelæ ius ciuile Romanorum publicè interpretatus sum à condiscipulis meis, cum quibus semel audiui vicissim disputaui, contuli sermones continuos: excludi à domo propria alienam inquirere res est sanè miseratione digna. Quid æquius decreuerũt prætores, quàm possessores manu teneri, qua de causa arcebant & repellebant inuasores animaduertentes in ipsos nihil. Sanè diuidui & indiuidui inextricabilem tractatum possessori, & petitori iudicij communionem, seu discrimen, necnon vtriusq; cumulum dispersas Iuris ciuilis moras, & alias Digesti noui materias quæ magis metaphysicam quam mores sapiunt à me publicè interpretandas & docendas superioribus diebus tradidistis: in quo munere rapida nostri prædecessoris mors me occupatum reperit. Nunc vbi de lucro de maiori tantum stipendio agitur me excludere, postponere me condiscipulis meis iniquum est, magistris cedere tolerabile, condiscipulis lugubre & triste. Miseremini mei, miseremini mei iudices integerrimi post alias & alias victrices laureas æquo & pio animo causam discernite: & quia bonus iudex secundum allegata & probata sententiam profert communis pro nũc allegatio sit. l. qui vsumfructum. ff. de verb. oblig. quam ab omnibus legendam mater academia tradidit, vt inde ingenij, eruditionis perspicuitatis fieret specimen. Lecturam nostram, cum his, quæ Illustres domini Doctores circa interpretationem prædictæ legis adduxerunt conferte: lynceis perpendite oculis. Quòd, si labor noster, ingenij perspicuitas & facilitas, Bartoli communis præceptoris cognitio summa quidquam probant edite possessoria interdicta, & cùm ego de possessione retinenda tractem, vti posidebam, ità possideam. Vos & bene valentes & ad cœlestia anhelantes seruet diuina illa largitas diutissimè, & prouebat. Valete.

IVLIANVS LIBRO quinquagesimo quarto Digestorum.



QVI vsumfructum fundi stipulatur, deinde fundum, similis est ei, qui partem fundi stipulatur, deinde totum: quia fundus dari non intelligitur, si vsusfructus detrahatur. Et è contrario qui fundum stipulatus est, deinde vsumfructum, similis est ei, qui totum stipulatur, deinde partem. Sed qui actum stipulatur deinde iter, posteriore stipulatione nihil agit: sicuti qui decem, deinde quinque stipulatur, nihil agit. Item si quis fructum, deinde vsum stipulatus fuerit, nihil agit: nisi in omnibus nouandi animo hoc facere specialiter expresserit: tunc enim priore obligatione expirãte ex secũda introducitur petitio: & tam iter, quam vsus necnon quinque exigi possunt.

SVMMARIVM.

1 *Stipulatio continens plus nouat primam, quæ continet minus secundum communem, secus è contra.*

2 *Qui bis idem stipulatur non nisi semel agere potest.*

3 *Inuentæ sunt stipulationes, vt vnusquisq; agat quod sua interest.*

4 *Nunquam minus transfunditur in plus.*

5 *Agitur de intellectu. l. fina. C. de nouationibus.*

6 *Circa materiam nouationum tria tempora considerauit communis.*

7 *Nunquam veteri iure fiebat nouatio nisi ageretur.*

8 *Desiderat Iustinianus vt nouatio fiat, vt id exprimatur.*

9 *Mos fuit Triboniani ex Iustiniano in ff. addere.*

10 *Vbi fideiussor accipitur in secunda stipulatione valet secunda, etsi minus contineat.*

11 *Licet secunda stipulatione continente minus inseratur noua persona nihil agitur.*

12 *Referuntur fundamenta communis existimantis in prima parte nostri tex. secunda stipulatione nouari primam.*

13 *Adducuntur motiua contra communem & defenditur nõ fieri nouationem in prima parte nostri textus.*

14 *Dictio, sed, aduersatur ĩ iure & in facto.*

15 *Refertur sententia Irneri circa versi. sed qui actum.*

16 *Refertur communis interpretatio & altera Cumani, & vtraque reijcitur.*

17 *Assignatur verus intellectus ex mente Christophori de Castlion ad versi. sed qui actum.*

18 *Quod est simile non est idem.*

19 *Inquiritur vtrum vsusfructus sit pars dominij vel ius rei, & pro vtraque parte proponuntur argumenta.*

20 *Refertur sententia Bartoli, hic dicentis vsumfructum esse partem dominij integralem, & declaratur quid totum integrale,*

grale, totum vniuersale, pars integralis, pars subiectiua.
21 *Excluditur Bartoli sententia.*
22 *Vsusfructus est duplex alter causalis alter formalis secundum communem.*
23 *Verius est vnum esse vsumfructum.*
24 *Refertur interpretatio Vigli & refellitur.*
25 *Proponitur noua resolutio huius quæstionis.*

DIVIDITVR in tres partes. In prima quę est in principio disputat Iulianus an secunda stipulatio continens plus nouet primum quæ minus continet: de quo constituit vnum exemplum. In secunda parte quæ est in versic. è contrario disputat, quid è contra, vbi stipulatio, prima continet plus secunda minus. Vtrùm qui sic secundo stipulatur agat aliqd, quod quatuor exēplis propositis prosequitur. In vltima parte, quæ est in versi. nisi, adducit limitationē. Factum planum est, ex quo cōmuniter scribentes ità col
1 ligunt. Sequens stipulatio amplius quam prima cōtinens valet: atsi minus non valet, nisi nouationis causa facta sit. Credūt enim communiter omnes in prima nostri textus parte primam stipulationem continentē minus transfundi in secundam quæ continet plus, & per eam nouari, id tamen cessare vbi prima plus continet secunda minus. Ratio secundæ partis nostri text. aperta est colligitur enim ex. l. qui bis supra hoc titu
2 lo. Sicut enim qui bis idem stipulatur non nisi semel agere debet cum sequens nulla sit, ita qui minus stipulatur nihil agit, sed experiri debet ex prima quæ continet plus cum in eo quod est plus insit & quod est minus. Dignoscitur autem ex regula iuris stipulantem in secunda stipulatione minus, quam in prima fuerat deductū nihil agere. Inuentæ enim sunt stipulationes, vt vnusquisque
3 quod sua interest agat. l. stipulatio ista. §. alteri supra eod. §. alteri. Instit. de inutilibus. sed sic est, quod is, qui secundo stipulatur minus deducens in secunda obligatione quā in prima deduxerat non interest sua sic stipulari, ergo rectè concludit Iulianus hic eum nihil agere. Condu-
4 cit ratio Baldi. l. rescriptum. §. si pacto. nu. fin. ff. de pactis, docentis plus nunquam transfundi in minus. l. cū quæstio. C. de leg. Ergo si primo stipulor plus deinde in secunda minus non nouabitur, prima sed verius est
5 me nihil agere. Propositæ tamē difficultati obest. l. fin. de nouat. C. iuncto. §. prætereà. quib. mod. to. ob. in quibus iuribus Iustinian⁹ refert per additionem, vel detractionem summæ factam in secunda stipulatione contigisse veteri iure nouationem: ergo si stipulor in prima plus in secunda minus nouare videor. Consequentia probatur: quia dum minus stipulor detraho primę stipulationi: & ita nouo, quod Iulian⁹ hic negat, docēs ex posteriore stipulatione nihil agi. Difficultate proposita interpretes superati respondēt circa materiam nouationū tria tempora con
6 sideranda fore, ius antiquissimū ante ius Digestorum, secundum tempus de Digestorum iure, tertium de tempore Iustiniani. Referunt ipsi Iustiniani verba in. d. l. fi. referentia veteri iure fieri nouationem per additionem, vel per detractionem summæ ad ius antiquissimum Digestorum: nam iure nostræ. l. ita demum nouationē fieri fatentur, vbi aliquid additur primæ stipulationi, secus autem vbi detrahitur. Ita propositam difficultatem cōmunis soluit Accurtius

sius in.d.§.præterea.quem Bart. Angel, Imola, hic idem Bart. Imola Angel. sequũtur in.l.pen.infra, de præt. stip. quos sequitur Iaso hic nu.8. Socinus nu.5. Alexander nu.9. communem testatur Alciat. hic num.2. Sed hæc communis interpretatio placere mihi nulla ratione põt: tum, quia distinctio propositi iuris nõ probatur: tum, quia Digestorũ iure verius est nec per additionẽ, seu detractionem summæ factam in secũda stipulatione fieri nouationem. Ita Vlpianus in.l.scire debemus. supra hoc titul. Scire debemus in stipulationib' tot esse stipulationes, quot species sunt, secundum quod euenit mixta vna summa, vel specie, quæ non fuit in præcedente stipulatione, non fit nouatio, sed efficit duas esse stipulationes. Hactenus Vlpianus. Nescio sanè, quibus clarioribus verbis ostẽdere potuit Vlpianus Digestorũ iure non fieri nouationẽ per additionem summæ. Qua ergo de causa cõmunis oppressa difficultate.d.l.fi. & dicti.§.præterea. prædictam constituit temporum differentiam? Ego sanè reiecta interpretatione communi facile esse existimo difficultatem componere. Igitur præsupponendũ est, neque per additionem, seu detractionem summę, fieri potuisse veteri iure nouationem: nam eo iure nouari aliqua obligatio potuit, nisi id ageretur. Vlpianus lib. 44. ad Sabi-

7 num. Omnes res transire in nouationem possunt: quodcunque enim, siue verbis contractum est, siue non verbis nouari põt & transire in verborum obligationem ex quacunq; obligatione: dũmodo sciamus nouationem ita demũ fieri, si hoc agatur vt nouetur obligatio: cæterũm si non hoc agatur duæ erunt obligationes. Sed & idem lib.46. ad Sabin. Si ità fuero stipulatus, Quanto minus à Titio debitore exegissem tantum fidei iubes, nõ fit nouatio: quia non id agitur vt nouetur. Idem etiã colligitur ex.l.si vnus. §. pactus ne peteret. ff. de pactis. Consequens ergo fit non fieri nouationem, nisi vbi id actum est, solamque summę detractionem, seu additionem factam in secunda stipulatione vllo tempore obligationem nouasse. Sed Iustiniani constitutio in.d.l.fi.& in.d.§. præterea referens iure antiquo prædictam fieri nouationem intelligenda est, seruatis regulis nouationum, nimirum per additionem, vel per detractionem summę factam in secunda stipulatione: ita demum nouationem fieri, si id ageretur, quod necessariò Iustinianus præsupposuit: nam alias seruatis regulis nouationũ duæ fiunt obligationes. Cũ igitur in text. nostro, id actum non esset per secundam stipulationem continẽtem minus, non fuit nouatum. Quam interpretationem vel digito demonstrat versiculus, nisi, nostri text. Nam vbi Iulianus pro constanti habuit, quòd vbi quis stipulatur fundum deinde vsumfructũ, actum, mox iter, decẽ, posteà quinque, vsumfructum, deinde vsum nihil agi, subdit illico in versic. nisi. Nisi in omnibus speciebus nouandi animo hoc facere specialiter expresserit. Quibus verbis Iulianus ostendit superioribus exemplis conceptam stipulationem fuisse, nõ animo nouandi, quo pacto diluitur superior difficultas.

8 Iustinianus tamen sua cõstitutione noua vt nouatio fieret amplius desiderauit.d.l.fi.& d.§.præterea. nempe, vt id à contrahentibus exprimeretur: quod si expresio nõ fiat, licèt id agatur, nouatio nõ sequitur. Qua cõstitutione.l.nostra corrigitur: nã

eius tempore id agi sufficiebat: post Iustiniani tamē tempora expresio necessaria est: quod omnes hic adnotarunt, maximè Cuiacius in fine. Neque inficit veram hanc resolutionem versic. nisi, nostri textus ibi. Nisi in omnibus his speciebus id facere specialiter expresserit: quibus verbis ostendi videtur id exprimi esse necessarium. Quod si tempore nostræ legis expresio necessaria fuit, nihil noui Iustinianus constituit. d. l. fin. & d. §. præterea. Verè enim resoluendum est tempore nostræ legis id non desiderari: sed illa verba specialiter expresit Tribonianus

9 ex Iustiniano addidit. mos enim Triboniani fuit nouas Iustiniani decisiones in Pandectis præfigere in. l. 2. ff. de iniusto rupto in. l. si rem aliquam. in. §. si duo. ff. de nouat. quod ante nos aduertit Cuiacius hic.

Ex superioribus infero stipulantem qui in secunda stipulatione, minus quam in prima deduxerat nihil agere. Quod sic intelligi oportet ni-

10 si rei deductæ in obligationem vel partis fideiussorem accepero: nam tunc fideiusio valet. l. si à reo. §. si reo. ff. de fideiussoribus. Et est ratio, quia dum fideiussorem accipio habere illum interest mea, & sic aliquid ago. quod cessat in casu nostri textus l. si pupillus. §. fina. ff. de no-

11 uat. Etiam si in secunda stipulatione noua inseratur persona. l. cum qui. §. pen. supra eodem.

Ex versic. nihil agit nostri textus communis sententia interpretatur primam nostri text. partem, vt qui primo stipulatur minus, secūdo plus agat aliquid: & sic nouet secunda stipulatio primam ità vt ex prima agi

12 non posit: sed ex secunda mouetur etiam communis ex relatione Iustinia. in. l. fi. de nouat. & d. §. præterea. Sed communem supra conuinci. ex d. l. scire debemus. supra hoc titulo. verius constituens nec per additionem summæ factam in secunda stipulatione nouari primā neq; per detractionē, errasseq; interpretes omnes hic dum crediderunt in prima nostri textus parte nouari primam obligationem per secundā quæ continet plus, secus tamen è contra. Mo-

13 ueor contra communem in primis d. l. scire debemus. Secūdò moueor, quia nouatio non fit, nisi id agatur, vt probaui ex text. nostro: adde l. 2. l. 6. infra, de nouat. d. l. si vnus. §. pactus ne peteret. ff. de pactis. Moueor l. si diuortio. supra eodem. vbi Pomponius lib. 5. decimo ad Sabinum. Si diuortio facto ea, quæ nihil in dote habebat dotis nominè centum dari stipuletur, vel quæ centum duntaxat habebat ducenta dotis nomine dari stipuletur, Proculus ait, si ducēta stipuletur, quæ centum habebat sine dubio centum quidem in obligationem venire, alia autem cētum actione de dote deberi. Hactenus Pomponius. Ecce vbi secunda stipulatio & obligatio, quæ cōtinet plus, non nouat primam, sed agitur ex vtraque ex prima actione de dote ex secunda actione ex stipulatu: igitur & in casu nostri textus duæ erūt obligationes. Moueor etiam. l. 4. §. si ex conuentione. ff. de re iud. vbi secunda obligatio quæ plenior est, cū ratione eius magis sit cautus creditor, quia additus fuit fideiussor, vel pignus, non nouat primū, sed vtraq; manet efficax. Moueor etiam doctrina Bart. l. ita stipulatus prima oppositione. nu. fi. infra eodem, docentis, quòd si primo purè, secundo sub pœna stipulor, videlicet, Promitto tibi Stichum, deinde, si non dedero Stichum, promitto pœnā, vt puta, centum,

tum; secunda stipulatio continens plus, quam prima non nouat primum. Igitur necessario dicendum est, in casu nostræ legis primam stipulationem continétem minus non nouari per secundam; sed duas esse obligationes distinctas; ex vtraque agi posse, tam ex prima, quam ex secunda: cùm discrimine tamé. Nam si egero ex prima agam tantum ex secunda ad id, quod deest. Exemplū constituo. Stipulatus fui quinque; mox decem; ago ad quinque ex prima si postea egero ex secunda stipulatione, non ad decem agam, sed ad quinque, quæ desunt. Si tamen ex secunda egero non potero ex prima agere, quia per secūdam sublata fuit obligatio magis solutióe, quàm nouatione: quod ante nos aduertit Alciatus hic idem in d.l. si diuortio. & d.l. scire debemus. supra eodem. Neque obstant fundamenta communis, non secunda pars nostri text. in versic. nihil agit. quia non sequitur, vt malè deduxit communis. Qui stipulatur secūdo plus, quam inerat in prima agit aliquid: ergo nouat. Consequentia non valet, Agit aliquid, quia interest sua stipulari, non tamé nouat, sed vtraque obligatione rectè aget vt supra resoluimus. Neque obstat Iustiniani relatio d.l. fin. & d. §. præterea: nam ità demum per additionem summæ iure veteri fiebat nouatio, si id ageretur, ex text. nostro & ex dict. l. 2. & 3. infra de nouat. quod tamen cessabit in casu nostræ. l. vt supra probaui.

14 In text. ibi, sed qui actum, cum dictio, sed, natura sua & in iure & in facto aduersari soleat. l. patris & filij. ff. de vulga. & pupil. subst. l. sed & si lege. ff. de petitio. hæred. vbi notant omnes: latè Barto. in. l. hoc amplius. §. de his autem. ff. de damno infect. Mirum est, quod hic adiecta sit: videtur enim Iulianus innuere diuersum ius constituendū fore; vbi quis fundum stipulatur, deinde vsumfructum, & vbi actum, mox iter, cum tamen vtroque casu minus deductū sit in secunda stipulatione, quàm in prima. Ità fundi appellatione venit vsusfructus. l. eum qui. §. pen. supra eodem. l. si alij. de vsufructu legato, sicut iter sub actu. l. 1. de seruit. rusti-
15 corū. in princ. Instit. eod. Irnerius fatetur in cōtextu scriptum habuisse. sedet, vnde propter vim coniunctæ credit ipse aduersatiuam; sed aduersari in facto non in iure, vt post Accurs. omnes notarunt. d.l. sed etsi lege. inquam sententiam Alciatus hic transit. Fides tamen Pandectarū Florentinarū & nostrorū Codicum in-
16 terpretationé hanc non patitur Accurs. hic verb. sed, existimant dictionem, sed, in iure & in facto aduersari, referendam tamen nō fore ad versiculum supra proximum, & immediatum, sed ad principium textus ita vt aliud sit stipulari actū, mox iter; aliud vsumfructū; deinde fundum: Sed hæc interpretatio, licèt communis sit, vt Iaso hic refert nu. 8. non tamen placet. quia ea retenta aduersatio ad remota fiat nō ad versi. immediatè proximū, & qui præcessit: præterea fit ad primum casum nō ad secundum qui præcessit. Vnde Cumanus hic existimauit aduersatiuā, sed: ꝓpriè stare & in iure, & in facto versic. è cōtrario proximo, & immediatè cōtrariari. Fatetur enim valere stipulationé, vbi quis primo fundum, deinde vsumfructū stipulatur, si de formali vsufructu agat, qui separat* est à proprietate. l. rectè dicimus. ff. de verb. sign. l. planè. 1. in fin. ff. de legat. 1. cuius sententiæ & illorū interpretatio accedit, qui censuerūt vsumfru-

fructum fundi partem non esse d. l. recté dicimus, & ideo secunda stipulatione, minus cõtinente fieri nouationem cùm id diuersitas rei inducat. At iter iuris interpretatione sub actu inest, sicuti sub decem quinq;, sub fructu vsus: & idcirco in his nouatio non fit. Sed hæc Cumani interpretatio prorsus falsa est: neq; enim magis à fundo diuisa est vsusfructus seruitus, quam ab actu seruitus itineris. l. pupillus. §. fi. ff. de nouat. Et eadem ratione secunda stipulatio itineris valere debuit, cùm iter sit separata seruitus ab actu. d. l. si pupillus.

17 d. §. fi. in quo omnes conueniunt cõtra Cumanum. Ego tamen pro huius versiculi intelligẽtia existimo dictionem, Sed, hic non stare aduersatiuè, sed continuatiuè, vt Iulianus syllogismum efficiat, omittens tanquã certam conclusionem in verbo, sed qui actum, proponitur minor maioris propositæ in versi. è contrario. Et syllogismus talis est, Qui stipulatur totum deinde partem, nihil agit: sed qui stipulatur actum, deinde iter stipulatur totum deinde partem: ergo nihil agit. Mos enim arguẽtium est, vt proposita maiore & minore conclusionem omittant alijs inferendã: veluti, Omnis homo disputat: sed Petrus est homo: ergo omnis homo currit: sed Petrus est homo: ergo omnes scholastici audiũt: sed Petrus est est scholasticus: ergo. In quibus exẽplis dictio, Sed, non aduersatur, sed cõtinuat. Quam interpretationẽ ad tex. nostrum ante nos aduertit Christophorus de Castelion subtilitatũ Princeps, quem Iason & Alciat. hic referunt, licet ex quo oppositoribus nostris alter credens me cæcum illũ sibi subscribat.

18 In tex. ibi, similis est illi. Cum simile non dicatur idem in. l. quod Nerua. ff. de positi. dũ Iulianus ait, quod is, qui stipulatur vsumfructum deinde fundum similis est illi, qui partẽ stipulatur, deinde totum, significare videtur, vsumfructum non esse dominij partẽ. Quæ sententia difficillima est & contra tex. l. in vẽditione. ff. de

19 bon. auct. iud. poss. Caius. In vẽditione bonorũ etiam vsusfructus venit, quia appellatiõe dñij vsufructuarius quoq; cõtinetur? Quibus verbis Caius docet obtinere vsumfructũ vim portionis nõ sapere seruitutis naturam. Adstipulatur pro hac sentẽtia l. cũ filius. §. dñs. ff. de leg. 2. ibi. Licèt diuersum sit in cæteris prædiorũ seruitutibus, quas hæres habuit, quia vsusfructus portionis instar obtinet. Et hæc sentẽtia iuuatur etiã. l. 4. ff. de vsufr. ibi. Vsusfructus in multis casib9 pars dñij est cõducit. l. quoties §. fi. de hæredi. instit. Quæ iura apertè probant vsumfructum esse dominij partem.

Ex altero tamẽ latere quod vsusfructus sapiat seruitutis naturã non sit ius rei. text. est in. l. rectè dicimus. ff. de verb. sig. Paulus. Rectè dicimus, eum fundũ totum esse nostrũ, cuius vsusfructus alienus est, quia vsusfructus non dñij pars, sed seruitutis est, sicuti via & iter, nec falso dicitur meũ esse, cuius nõ potest pars altera esse alterius. Ergo vsusfructus seruitus est. l. 1. de seruit. quod si seruitus nõ est pars rei, sed accidit rei. l. quid aliud de verb. sig. Quod non obscuris verbis Iustinianus ostendit. §. seruus etiam alienus. de hær. instit. vbi seruus alienus dicitur, in quo testator vsumfructum habet, si alter proprietarius sit, in tantum, quod hęres institutus domino proprietatis acquirit, nõ vsufructuario in. l. per seruum. de vsu & habitatione. §. ex his. Inst. per quas pers. no. acq. Facit pro hac sententia Iustiniani principium in rub.

in rub. Instit. de vsufructu. ibi. Est ius vtendi fruendiq; rebus alienis, salua rerum substantia. Verbum autem, alienis, in definitione positum facilè indicat alium dominum, alium vsufructuariũ. Sed & idem Iustinianus in. §. si cui fundus. docet vsumfructũ in petitione seruitutis obtinere locũ. Quibus fundamentis pro vtraq; parte propositis, si qua in toto corpore iuris anceps & dubia reperitur quæstio præsens est, in qua componenda mirum est qualiter laborent interpretes. Distrahitur Accursius in. d. l. rectè dicimus. & in. d. l. 4. in interpretationes varias, inter quas ea
20 receptior est, quam Barto. approbauit hic nu. 2. idem Barto. in rubri. C. de vsufr. vbi Alex. num. 2. Paulus in l. si quis vi. §. differentia. nu. 3. ff. de acquir. poss. & Ias. in. l. 1. §. vsufructuarius. ff. de noui oper. nunt. nimirum quod dicatur vsusfructus pars integralis ipsius fundi, cum ipse cum proprietate conficiat dominium plenũ. Sicut enim manus dicitur pars integralis hominis, quia cum alijs partibus componit hominem: sic dicũt ipsi vsumfructum esse dominij partem. In quo sensu accipiunt dict. l. 4. & cæteras adductas in confirmationem ipsius. Non tamen dicitur vsusfructus pars prædicamentalis, seu pars subiectiua, sicuti homo, qui est pars subiectiua & prædicamentalis animalis. Quæ Accursij interpretatio, vt patet, quia sapit dialecticam multum & egreditur iuris nostri terminos, cum Bartol. hic vltra omnes interpretes hæc sic interpretor. Igitur in primis sciẽdum est, aliud esse totum integrale, aliud totum vniuersale, alia pars subiectiua, alia pars prædicamẽtalis. Dicitur totum integrale secundum Bartol. & dialecticos quod ex suis partibus consistit, veluti domus quæ appellatur totũ quoddam integrale, quia ex suis partibus integre conflata est, ex tignis lapidibus, cæmentis. Aliud est totum vniuersale, sicuti genus, quia de suis speciebus prædicatur: & hæ dicuntur partes subiectiuæ, quia illę subijciuntur & de quibus genus in eo quod quid prædicaẽ: veluti homo & brutũ. Vt si quis dicat, homo est, illico sequitur, animal est, brutũ est, ergo aĩal est: & est imposibile esse gen⁹, quin habeat species: & è cõtra impossibile est esse species, quin respiciãt genus. Quod secus est in toto integrali: quia põt esse homo absq; manu, & erit homo: dom⁹ absq; altero lapide, & adhuc erit integrale totũ.

Rursus pro perfecta Bart. cognitione hic obseruãdũ est, duplex esse dominiũ. Aliud plenum & in genere: veluti, qui habet fundũ cum proprietate & vsufructu dicitur habere dominiũ plenũ, quia ei nihil deest, de quo agitur in tit. de acq. rer. dom. Aliud verò est dñiũ nõ totale, veluti ꝓprietas & vsusfructus: quomodo vsufructuarius dicit dñs. Solẽt nãq; qui ius in re aliquod habent dicere, Ego habeo dñium illius rei. l. qui vsumfructũ. ff. si pars vsusfr. pet. latè Bart. hic. Quibus suppositis sit regula, Si primo modo sumaẽ dñium, vsufructuari⁹ dñs nõ est: si tñ secũdo dicitur vsufructuari⁹ dñs, quia vsusfructus cũ proprietate cõponit plenũ dñiũ, nõ sicuti pars prædicamẽtalis, veluti homo, equ⁹, bos respectu animalis, sed sicuti pars integralis: nã si separeẽ aliqua nõ erit dñium plenũ. Ex quo interpretes inferũt, vsumfructũ esse dñij partẽ integralẽ, nõ subiectiuã. Hæc cõis omniũ Doctorũ, quã ex glossis desumunt interpreta-
21 tio nec diffiteri põt, quin distinctio ista licẽt dialectica sit, ĩ se tñ veritatẽ

non contineat. Cæterum non est de mente Consultorum in iuribus præallegatis, vt expendit Viglius in §.seruus etiam. Instit. de hæred. instit. Pinellus in.l.prima. C. de bonis matern.3.part. numero primo. ante quos eam reiecit Fulgosius dict. l.4. quia secundum eam cum vsusfructus ex natura sua sit pars integralis semper esset, quod tamen negat Consultus dict.l.4.ibi. In multis casibus pars dominij est.Ergo apertè cõuincitur non eam mentem Consulti fuisse, appellare vsumfructum partem integralem.

22 Aliter intelligebat Bartol. in.l. in conditio.ff.de bonis aucto.iud.poss. Nam cum Cõsultus ibi, dicat vsumfructuarium cõtineri appellatione dominij, ex ea ratione, quia omnis ille, qui habet ius aliquod in re, solet dici dominus, licèt in rei veritate nõ sit ratione iuris quod habet in re, infert Bartol. vsufructuarium dici dominum ratione iuris quod habet in vsufructu. Quam Bartoli sentẽtiam defendit Iaso dict.l.prima.§. vsufructuarius num.2.ff.de noui oper.nunciatione. Alexan.in.l. naturaliter. §. nihil commune. num. 6. supra. de acquirend.possess. Sed hæc interpretatio minus placet: nam, licet in se vera sit, non tamen iurium prædictorum tollit difficultatem, cùm dict.l. 4. dicat in multis casibus vsumfructum esse partem dominij. Et tamẽ, si vsufructuarius ratione iuris competentis diceretur dominus non in multis casibus sed in omnibus id esset. Patet ergo non eam mentẽ Consulti fuisse in.d.l.4.

23 Minus etiam placet communis interpretatio de qua in dict.l. rectè dicimus, intelligens.l. rectè dicimus, cum suis concordantibus de vsufructu formali, qui quidem cum per se subsistat, pars non est, sed subit potius naturam totius, at verò d.l.4.cũ similibus, de vsufructu causali. In cuius gratiam scire oportet, secundum receptam sententiam duplicem esse vsumfructum alterum causalẽ, qui coniunctus est cum proprietate, alterum vero formalem, qui separatus est à proprietate. Ita glos. dict. l. rectè dicimus. Eadem gl.in.l. si cum testamento. §. penul. versicul. vsumfructum. ff. de exceptione rei iudic. glos. 1.in.l.si cum.argum.81.ff.de iure dotium. gloss. secunda. in fine. Instit. de vsufruct. eadem in.l. si ita stipulatus 126. §. primo. ff. de verbor. quas omnes sequitur Bartolus in.l. vnica. numer.4. de conditione, ex lege Maranta in repetitione. l. is potest. numer.212. ff. de acquirenda hæreditate. testatur communem Corrasius libr. 5. miscellanearum. cap.3. Pro qua sententia & distinctione cõmuni vrgent duo iura, primò vrget textus in.l.si cum testamento.§ penultimo: de exceptione rei iudicatæ, quo loco si fundum petij reivendicatione à te & in lite succubui, si ex post facto ex eadem causa petiero, vsumfructum, scilicet, quia meus est, protinus succumbam, & contra me obstabit exceptio: is nanque, qui proprietatem habet suum vsumfructum vendicare nõ potest. Quæ verba necessario intelligi oportet de vsufructu causali, non autem de formali. Subdit nanque Consultus illico, sed si vsumfructũ cum meus esset, hoc est, ex eadem causa vendicaui, & succubui, deinde proprietatem nactus iterum de vsufructu experiar. Quæ verba necessario intelligenda sunt de vsufructu formali ibi. Vsumfructum ex eiusdem fund opetam, & ibi. Iterum de vsufructu experiar. Igitur necessario dicen-

dicendum est duplicem esse vsumfructum, alterum causalem, alterum formalem. Comprobatur hæc communis assertio ex. l. si ità stipulatus. 126. §. primo. infra hoc titulo, ibi. Minus est in stipulatione vsusfructus, quem per se quis promisit, quam in eo, qui proprietatem comitatur. Quo præsupposito dicunt ipsi, quod vsusfructus formalis, qui separatus est à proprietate, non est pars fundi: vsusfructus tamen causalis, qui coniunctus & consolidatus cum ipsa proprietate pars fundi sit: quam sententiam communem testatur Rebuffus dict. l. rectè dicimus. de verb. signifi.

Sed certè hæc interpretatio placere
24 nullo modo potest. Veriùs nanque existimo vnicum tantum in iure dari vsumfructum, qui quidem separatus est à proprietate quem Doct. dicunt formalem: hæc enim vocabula Cōsultorū non sunt, sed voces has per manus iuris interpretes nobis tradiderunt. Quam sententiam defendit Rebuffus dict. l. rectè dicimus. defendit Duarenus dict. l. si ità stipulatus. dict. §. primo. Corrasius libr. 5. miscel. cap. 3. sentit Bart. dict. l. is potest. nume. 3. Facit pro hac sententia contra communem. l. si tibi. §. fina. ff. quibus mod. vsusfru. amit. Vbi legauit Titius si nauis ex Asia veniret Mæuio nudam proprietatem, mihi autem vsumfructum pure. Ego vsufructuarius ab hærede pendente conditione emi dictum fundum: quo factum fuit, vt per consolidationen vsumfructum amiserim, posteà cessit conditio. Dubitatum fuit apud Iulianum, an Mæuius habiturus sit totum fundum cum vsufructu, an verò nudam proprietatem, quæ sibi tantum erat legata? Cui dubitationi respondet Iulianus, quod Titius pleno iure fundum habebit: neque enim interest, quod detracto vsufructu, proprietas legata sit: nam vsufructuarius cum proprietatē acquisiuit ius omne legati vsusfructus amisit. Si igitur secuta proprietate omne ius vsusfructus extinguitur, euidenter constat apud proprietarium ius vsusfructus nō residere: dictio nanq; omne, in vniuersum distribuit. §. cū autem. versicul. ex indulgentia. quibus mod. ius. pa. po. sol. Patet ergo proprietarium non habere vsumfructum, & ita non dari vsumfructum causalem. Pro qua sententia facit, vsumfructum esse ius vtendi fruendique, salua rerum substantia. Ergo cum dominus vtitur re sua non habet vsumfructum, qui propriè dicitur de re aliena: maximè cum vsusfructus seruitus sit. l. prima. ff. de seruitutibus. l. prima. §. vsusfructus. ff. ad legem Falcidiam. Et rei propriæ non datur seruitus. l. vti frui. ff. si vsusfructus petatur. l. in re communi. ff. de seruitut. vrba. præd. quia res propria nemini seruit, sed ea vtitur dominus iure dominij: apertè enim constat quod is qui habet proprietatem non habet vsumfructum. Vnde infero propriè, & strictè non dari vsumfructum causalem: ad quod maximè conducit. l. quod nostrum. ff. de regulis iuris. dum Consultus asserit non posse cedere vsumfructum is, qui nullum habet, ex eo nanque quod separatus, erat penes tertium, proprietas verò nuda, Consultus inquit proprietarium non habere vsumfructum, & sic illum non posse cedere. Patet ergo non dari vsumfructum causalem.

Rursus iuuatur hæc interpretatio ex. l. cum in fundum. versicul. maritus.

ritus. ff. de iure dotium. vbi qui habet fundi nudam proprietatem in dote recepit ab vxore vsumfructũ. Consultus docet maritum vsumfructum non habere, sed suo fundo vti: ergo non est vsusfructus causalis. Nec mouent argumenta in contrarium adducta. Non l. si ità stipulatus fuero. §. si Titio. in versicul. in eo vsufructu. Nam, si bene Pauli mens inspiciatur non est multiplicare vsumfructum, sed constituere differentiam inter vsumfructum procedentem & venientem ex stipulatione. Eo enim ipso, quo quis fundum promittit, vi illius promissionis continetur vsusfructus: & hunc appellat Paulus proprietatem comitare, qui absque stipulatione noua venit in stipulationem, nisi expressè per promittentem detrahatur. l. quod si alij de vsufructu legato. l. si tibi. ff. de vsufructu accrescendo. Et inter eum vsumfructum, qui quidem nõ debetur ex ipsa proprietate, sed ex stipulatione particulari; veluti, si quis promittat fundum Cornelianum deducto vsufructu, & mox promittat vsumfructum, tunc quippe ille vsusfructus ex particulari obligatione debetur, non verò comitatur proprietatem. Nam primo casu qui fundum promisit, si tradiderit vsumfructum, & hic admissus sit, non liberabitur, nisi efficiat pleno iure fundum ad creditorem peruenire. Secundo tamen in vsufructu separatim promisso secus erit, quia tradendo illum liberatur, licèt amittatur. Hæc mens Pauli in dicta. l. si stipulatus fuero. dicto. §. si Titio, quam insinuant illa verba, Duæ fuerunt stipulationes, & minus est in eo vsufructu, quem per se quis promisit, quam in eo, qui proprietatem comitatur. Acsi Consultus diceret, interesse maximè, vtrùm vsusfructus veniat in consequentiã, an vero de per se.

Rursos dict. l. si cum testamento, quam adducit communis, nihil obstat: non enim ibi in. §. si fundum, Consultus agit mentionem de vsufructu causali, nec de vsufructu formali: sed longè diuersa mens est, nimirum constituendi differentiam, nunquid vsusfructus petatur ex eadem causa, qua actum est, vel ex diuersa. Et concesso, prout existimauit communis, quod duplex vsusfructus sit, alter causalis, alter formalis, adhuc ineptè asserunt, vsumfructum causalem esse dominij partem, & sic interpretandam fore dictã. l. 4. ff. de vsufru. Falluntur quippe & toto errant coelo. Nam, si dict. l. 4. intelligeretur de vsufructu causali, & sic ex ipsorum sententia pars esset dominij, semper esset, nec diceret ibi Consultus, In multis casibus.

25 Minus etiam placet arguta, & ingeniosa Vigli interpretatio asserentis vsumfructum appellari dominij partem in his rebus, in quibus fructus in perceptione consistunt, vt in fructibus agri, & foetu animalium, vt eo casu procedat dict. l. 4. non vero appelletur pars dominij, vbi fructus non consistit in perceptione veluti in vsufructu ædium, & sic intelligenda veniat dict. l. rectè dicimus. cum similibus. nam dict. l. 4. & cæteræ quas supra adduximus vniuersaliter loquuntur, & sic non est quod eas Viglius restringat ad vsumfructum agri, potius quam ad vsumfructum ædium. Præterea, quia cum dict. l. rectè dicimus. negat vsufructuarium esse dominum apertè loquitur de fundo, vt ex princ. dict. l. constat: & sic loquitur de vsufructu rei, in qua datur perceptio.

In qua

In qua difficultate componenda, etsi ingeniosus Viglius fateatur libẽter eum pati reprehensionem, dum tñ meliorem alter afferat solutionẽ, mihi tamen videtur quæstionẽ hãc, an vsusfructus sit pars rei, vel ius rei, altercatissimam fuisse inter Iurecõsultos, alios vim portionis, alios vim seruitutis obtinere in.l. si à reo. §. si reo. ff. de fideiuss. d.l. rectè dicimus. ibi, quod Iuliano placet, adhæreo tamen sententiæ illorum, quos sequitur Accurs. in.d.l.4. asserẽtium, non esse dominij partẽ, sed seruitutis naturam obtinere: sicuti via & iter. Nõ obest.d.l.4. Nam Consultus nõ asserit vsumfructum esse dominij partẽ, sed in multis casibus, hoc est, habere similitudinẽ cum dominio: quia multa competunt ex legis dispositione vsufructuario, quæ nõ, nisi vero domino competunt, vt tradit Iaso in. l.1.§. vsufructuarius. nu. 2. ff. de noui operis nuntiatione. nam potest agere rei vendicatione quod dominis competit. l. officium. l. in rem actio. ff. de rei vendicatione. Rursus, si aliquis debitor sit eiusque bona vendantur, si is habeat in alieno fundo vsumfructum, similiter veniat in venditione bonorum, acsi esset portio, cùm res æstimabilis sit. d.l. in vẽditione. ff. de bonis aucto. iud. poss. prætereà, si vsusfructus sit soli & vicina domus minetur ruinam, cauebitur vsufructuario de damno infecto in.l. qui bona. §. qui superficiarium. ff. de damno infecto. Præterea fideiussor obligatur pro vsufructu, acsi in partem fideiussisset, in.l. si à reo.§. si reo. ff. de fideiussorib. quam interpretationem sequitur Pinellus vltra glo. in.d.l.4. in.l.1.3. part. nu.4. C. de bon. mat. Alciatus in.l. rectè dicimus. nu.7. Bald. & Fulgo. in.d.l.4. & eandem sententiam in effectu sequitur Rebuffus, nec refragatur cõtra hanc sententiam. d.l.4. vtitur enim verbo est, quod substantiam & existentiam magis, quàm similitudinem significat, refert Bald. in.l. quæ fortuitis. C. de pign. actione. Iaso in l. serui electione, §. 1.l. cætera.§. item quæri potest. ff. de legat.1 glo. magistra. in.l. mercis appellatione. ff. de verb. signific. Nam respondendum est secundum materiam subiectam distinguendum fore. Licèt enim verbum, est, ex natura sua denotet existentiam, si tamen materia subiecta non patiatur, nisi similitudinẽ eam significabit, non formale dominiũ: plus enim Consultij respiciunt naturam & mentem, quam nõmina. l. nominis. §. 1. de verb. signi. Quæ mens Consulti euidẽter, colligitur ex. d.l. cum filius. §. dominus. ff. de legat.2. vbi Consultus asserit, vsumfructum instar portionis obtinere. Non ergo verè & propriè & secundum naturam erit pars dominij, sed quia habet similitudinem cum dominio.

FINIS.

YO el Doctor Martin de Busto Cathedratico de Decreto en esta Vniuersidad de Salamanca, por comission del Illustre Señor Licenciado Muñiz de Godoy Prouisor deste Obispado de Salamanca, he visto esta Lectura del Illustre Señor Doctor don Antonio de Peralta, y me parece tener mucha erudicion y doctrina, y ser digna de que se imprima. Y firme lo de mi nombre, en Salamanca a veynte y cinco dias del mes de Septiembre. 1586.

El Doctor Martin de Busto.

DE nos el Licenciado Diego Muñiz de Godoy, Prouisor en todo el Obispado de Salamanca, por el Illustrissimo y Reuerendissimo Señor don Geronymo Manrique Obispo de Salamanca del consejo de su Magestad &c. Por la presente damos licencia a qualquier impressor de libros vezino de la ciudad de Salamanca, para q̃ pueda imprimir la ley, Qui vsumfructum, que de suso va declarada, sin incurrir por ello en pena alguna, atento que fue vista y examinada por nuestra comission, por el Doctor Martin de Busto. Fecho en Salamanca a veynte y cinco de Septiembre 1586.

El Licenciado Muñiz de Godoy.

Francisco de Barrientos.



colorchecker CLASSIC
calibrite
mm